

SANCTISSIMÆ CRUCIS,

IN QVA,

PRO TOTIUS MUNDI PECCATIS,
AGNUS AB ORIGINE OCCISUS,

DEUS IDEMQVE HOMO,

JESUS CHRISTUS,

INNOCENTISSIMA MORTE OBIIT.

Hanc

Piâ utiq; ac devotâ depictam oratione,

Pertinacis industriæ ac bonæ mentis Juvenis,

BRUNO HANENFELDIUS,

Anniversariâ recolere memoriâ,

Die horaq; humano generi lugubri non minus quàm salutari,

In Auditorio conabitur publico.

Ad quam audiendam

Magnificos Reip. Patriæ Proceres,


Pl. Reverendos Verbi Divini Præcones,

Et quoscunq; Dominicæ Crucis Soldurios,

*Quâ par est, observantiâ, quâ potest, diligentia,**Orat, rogat, invitat*

M. HENNINGUS WITTE,

Eloq. & Histor. Prof. P.



R I G Æ,

Typis BESSEMESSERIANIS.

Ecce Lector!
Cœli Rector,
F. N. Ecce Homo! R. F.
Ecce Deum,
Jesum meum!
Jesu chare,
Quàm amare
Præ amore

Passus, affus igne sancto charitatis ubera?
Pandis & expendis alma (vulnus ipse) vulnera:
O quàm grata vulnerata manus, pedes, latera!
JESU CHRISTE! vulnus triste mille præbet gaudia.
Mille? Mille; sed quid mille? Fallor: Centum millia.

Vulnus illud,
Fumus illud,
Mille, credo,
Suavitates,
Mille, scio,
Charitates
Nobis affert,
Nobis aufert
Mille luctus,
Mille fluctus,
Heros ille,
Gigas ille,
Non temeto,
Sed aceto, &
Felle mistus
Jesus Christus
Suave videt,
Dulce ridet,
quàm jucunda
& abunda

Ecquam munda vulnera?
Huc accede Christiane!
Te excipiet humane
JESUS ille, CHRISTUS ille
Via illa, Vita illa
Quæ pro Nobis moritur.

est. A

Tarto Rukko Hukont
Raamatukogu

9130

Romæ quondam, luctuosô utiq; prodigiô, tellus
medio urbis repentè diffiluit, vastisq; faucibus
præruptè hiantia subitò inferna patuerunt. Vo-
rago ista sævam exhalavit mephitin, pestilentiq; lue nu-
merosam hominum multitudinem inqvinavit, nec ullo
terræ conjectu expleri potuit. Oraculum igitur in illo
rerum bivio consultum tale tum reposuit responsum:
Non cessaturam prius esse labem, quàm si illud, quô plu-
rimum populus posset, quodq; sibi carissimum esset, eò
illatum foret. Mox aurum, argentum aliaq; pretiosa in
eam conjecerunt abyssum, sed irritò penitus conatu. Tan-
dem juvenis magnitudine animi ingeniiq; perspicaciâ il-
lustris, Marcus Curtius, accessit, ancipites & fluctuantes
meritò castigans. Nihil verò præstantius humanâ esse ani-
mâ, nullaq; unquam re Romanos magis, quàm viris & ar-
mis valuisse ostendit. Eqvo proinde ut poterat maximè
ornato insedit armatus, nunc Capitolium intuens, nunc
ad Manes manus expandens Tartareos, publicæ se inco-
lunitati devovit. Ad eò ei dulce fuit atq; decorum pro
Patria & amicis mori, dum ipse unus suò exitiô populariũ
salutem empturus in subjectum se præcipitavit specum.
Spontaneò hocce factô Romam Romanus ab insigni cla-
de & interitu præsentis dexterrimè liberavit. Pro quo, ut
fas omninò erat, beneficio quisq; incolarum flosculis,
frugibus aliisq; donariis congestis, gratam declarare men-
tem allaboravit, illiusq; memoriam religiosâ solemnita-
te transmisit ad posteros. Quod pietatis & honoris officii

um Romulea olim gens suo exhibuit Curtio; id sanè nunc multò majori jure Christiana suo CHRISTO, Vindicatori ac Sospitatori maximo, debebit. Erat quippe in prægrandi hujus universi foro barathrum nigris turpissimorum peccatorum aqvis pallens & profundum, quorum teterrimus halitus omnium omninò mortalium animas inquinaverat, easq; Stygiis jam in æternum tenebris addixerat. Vaticinium quoq; minimè perplexum, inq; pleno Ter-Venerandæ Divinitatis Synedrio prolatum, clarissimè intonuit, hanc malorum labem & eluviem non sublatum iri, nisi quicquam cælo terraq; contra carius explendæ & abolendæ huic destinaretur speluncæ. JESUS CHRISTUS, Deus benedictus in secula, & Homo ex homine natus, delictum poli, delictum soli, solus tantis ausis par fuit & secundus. Hic cœlesti virtute Clibanarius clibano Acherontico se ultrò immisit, dignatusq; est turpem per vulnera mortem pacisci, ut humano generi vitam sospitem & superstitem procuraret. Itaq; & abjecit sese in profundum miseriarum, & pectus suum innoxium tam diro & horrendo objecit monstro, sicq; inferorum mancipia superis adscripsit. Inter cuncta profectò Dei opera, in quibus humanæ admirationis fatigatur intentio, nihil est quod æquè mentis nostræ contemplationem superet, quàm Passio Servatoris ad tibicinem flagellati, paliuris coronati, inq; patibulum suffixi. Heu miserabile & mirabile spectaculum! Discipuli in necem Magistri suum conferunt symbolum

bolum: Ille prodendo, hic negando, cæteri fugiendo. Iniquissimi justissimum condemnant, & firmamentum mundi columnæ alligant. Rerum domino insultant calones. Fex nebulonum Deo faciem, puerorum more, velant, illudunt, percutiunt. Furum manipulus scelestissimi oris excrementa in cælestem ejus vultum exonerant. Caput, in quo universa asservabatur sapientia, densissimis utiq; dumis dilacerat. Nulla corporis pars aut dolore singulari, aut flagitio atroci vacua relinquitur. Crines à sanguine squalent, oculi fletu tument, nares colaphis contritæ pallent, dorsum virgis flagellatū prurit. Quin imo totus Dei & Virginis filius nil præter sanguinem pluit. Et quod omnium est miserrimum, vincus & constrictus non habet, quò manantem undiq; cruorem abstergat. Paratis de inde omnibus ad ferale & onerosum iter instituendum, Servator exanimatus propè instrumentum sui supplicii bajulare cogitur. Amplectitur crucem, brevi ab ea amplectendus. Qui vix sibi ipsi portando sufficit, ei gravissimum imponunt gabalum. Unde totam viam suo signavit sanguine, haud aliter ac si fera recens jugulata etiamnum sanguinans per publicum tracta fuisset. Cum hoc pondere tandem miserrimè delato ad Calvariæ montem detracta sunt illico vestimenta, ut in crucem ageretur nudus. Qualis in paradiso primus habitaverat homo, talis paradysum secundus intravit. Qui cælum stellis, terram floribus, animalia pilis, plumis, lana & squamis vestit, is omni penitus veste spoliatur. Nec cessant aram,
in qua

in qua agnus Dei erat immolandus, summæ impietatis ministri rabidò exstruere furore, inq; eam innocentem projicere. Manus ejus primò arripiunt, clavisq; trabalibus cruci ita affigunt, ut volæ carnem intra foramen secum raperent. Pari mox immanitate ad pedes procedunt, quos cruciant, trahunt, expandunt, icibusq; iteratis perforant, non sine poplitum & compagum omnium dissolutione, ut nervos, venas, fibras, ossaq; singula numerare posses. Ecce Dei filium, hinc & hinc latronibus septum, in infami arbore suspensum! Exclamat in Verrem Tullius: Nefas civem Romanum vincire, scelus verberare, propè parricidium necare, quid dicam, in crucem tollere? Quantum itaq; piaculum erit, ipsum DEUM, conditorem ævi, qui nobis omnia solus est, ad acerbissimæ damnare crucis supplicium? Mirare humana mens, stuppe angelica! DEUS MORTUUS EST. Primus & novissimus novissima subiit: Dux Vitæ interfectus, & Dominus gloriæ in ligno exspiravit. Exeste hîc profani, exeste pagani, qui tantæ rei mysteria non capit! Quæ enim à ratione, illa non itidem ab ipsa semper veritate dissident. Hinc rectissimè de morte Christi dicitur: Imensus vitæ terminum explevit. Æternus fatalem horam attigit. Infinitus mortalitatis dies finivit. Lux incommutabilis occidit. Sapientissimus exanimis jacuit. Conditor orbis intra saxi angustias conditus est. Quem cœli cœlorum non ceperunt, eum tunc urna cepit. Sed quis hæc, nisi Christianâ fide imbutus, intelligit? Nonne por-

ne portenta sunt sanctissimæ crucis prorsus stupenda? ò
crucem Domini insipientibus verè crucem atq; trucem!
Fideles verò & credentes in sequestrum Dei ac hominum
ex eadem funebri arbore medicinam petunt animæ sa-
luberrimam. Gloriantur Botanici de sua cruciata, quæ
non solùm voce, sed & mirabili virtute crucem adum-
bret Dominicam. Singulæ siquidem frondes ab utroq;
latere erumpentes crucem ad vivum exprimere dicuntur.
De singulari ejus & occulta proprietate non est, ut multa
hîc prædicemus. Quod enim vermes abigat, corpusq;
ab omni veneno conservet, id nondum mihi satis inno-
tuit: At Christi longè majora præstare crucem, neuti-
quam ambigere orthodoxa me finit religio. Nam &
hæc Dæmones fugit, mortem necat, & contra virus pecca-
ti animam inficiens præsentissimum exhibet antidotum.
Si stola Julii Cæsaris viginti tribus Romæ vulneribus oc-
cisi à M. Antonio producta, recenti adhuc sanguine rubes,
tantum valuit, ut populus, lamentabili istò motus specta-
culò, in cædis autores, Cassium atq; Brutum, assurgeret.
Quidni Crux Sospitatoris nostri largò subinde cruore ma-
dida, perpetuoq; menti obversans, ad flagitia quævis eji-
cienda, ardentiori nos impetu instigaret? Hæc quippe
totius beatitudinis nobis causa est. Hæc nos à cæcitate
liberat erroris, ex tenebris reddit luci, & alienatos Deo
conjungit. Hæc clavem nobis tradit, quæ clausum ape-
rit paradisum. Hæc arca est Noæ, per quam salvamur, &
funda Davidis, per quam Goliathum horrendum armis
visu-

visuq; formidabilem humi prosternimus. Per crucem
ire nunclicet ad lucem, per ignominiam ad gloriam. Mor-
sum serpentis quondam lethalem mors Domini sanavit
vitalis. In cruce Servatoris purum invenimus fidei au-
rum, & ditissimum cælestis gratiæ gazophylacium. Hic,
si ullibi, lapis prostat Philosophicus, omnibus omninò morbis
curandis idoneus, & aurum verè potabile, ex tot Crucifixi vul-
neribus profluens. Salve igitur, Veneranda Crux, magnæ glo-
riæ tradux & conciliatrix! Quis suam, quæso, in hac vita crucem
à Deo impositam non æqviori nunc ferat animò, cum socium &
anteambulonem ipsum habeat Dei filium? Scimus, quàm læ-
ta tandem catastrophæ, quàm felix passionum clausula sit subse-
cutura. Mala aliquando sors transibit, spinæ mutabuntur in ro-
sas, fella in mella, tristitia in lætitiâ. Per aspera veniemus ad pro-
spera, per angusta ad augusta, per nubila ad juba, per dolores ad
honores. Atq; vî pretiosissimam hanc Uncti nostri crucem & mor-
tem auribus animisq; omnium publicâ voce exponere egregius
ille, quem supra laudavimus, instituit juvenis. Argumentum ve-
rò elegit præsentî tempori suæq; probitati maximè congruum,
ut in eo ingenii aciem exerceret, bonorumq; sibi favorem ac amo-
rem facillimè impetraret. Paternarum igitur Virtutum æmulus,
die Parasceves, horaq; meridianâ III. funebrem Gloriosissimo Re-
gum Regi orationem dicturus est. Hâc enim ipsâ, ceu facer no-
bis tradit codex, morte occisus mortem occidit; hâc ipsâ infero-
rum portæ destructæ, cælorumq; januæ sunt reſeratæ. Quamobrè
aut me omnia fallunt, aut faciles vos omnes habebimus, Honorati
Lectores, Literarumq; vè Mæcenates, quos ad extremum, si op9 est,
deniò oro rogoq;. Nam ad Crucem Christi Vos sponte conflue-
re, singularis vestra me credere jubet Pietas, & pronus ille, quem
toties sensimus, in studia nostra adfectus. Nihil proinde addere
lubet, quàm hoc unicum: **AMOR NOSTER CRUCIFIXUS EST!**
Vos, qui hunc amatis, adeste, audite, favete! Dab. Rigæ Livonum,
II. Pridie Non. Aprilis, Anno O. R. cIo lCCLxxx.